

accipiendum, aut merces quibuscumque etiam viatoribus et clausis apothecis vendere, nisi tantum ad victum necessaria, et alia minuscula, et modici momenti opiata confecta pro transeuntium hospitem, advenarum et externorum urgenti ac presentanea necessitate, et opportunitate, » etc. Hæc ibi.

22. *Alicubi diebus festis de consuetudine celebrantur nundinæ.* — Resp. II. Pluribus nihilominus in locis consuetudine receptum est, ut diebus festis nundinæ celebrantur, ob majorem populi commoditatem, ac præsertim rusticorum et pauperum, qui absque jactura mercedis diurnæ, qua maxime indigent, aliis diebus accedere nequeunt. Et quanquam Abbas in cap. I n. 5, h. t. post Hostiensem asserat, talem consuetudinem non excusare a peccato, cum sit prava: oppositum tamen passim tenent cæteri doctores. Siquidem observatio festorum: ac proinde etiam prohibitio mercatus in ipsis, est juris dumtaxat humani ecclesiastici, ut late docet Suarez lib. II. *de Religione*, cap. I, et sequitur Vallensis h. t., n. 12; Pirhing n. 18, estque communis. Atqui legi humanæ potest derogari per contrariam consuetudinem, rationabilem tamen (ut est præsens, ob rationem supra allegatam) ac legitime præscriptam, cap. ult. *de Consuetud.*

23. *Consuetudines tamen hujusmodi sunt moderandæ.* — Recte tamen monent doctores, ut Zoësius h. t., n. 12; et Layman lib. IV *Theolog. moral.*, tract. VII, cap. II, n. 6, hujusmodi consuetudines esse cavendas, ne imposterum introducantur, atque, ubi jam introductæ sunt, neququam extendendas sed quantum fieri potest moderandas: saltem in tantum, ut ejusmodi nundinæ atque negotiationes non fiant ante peractum officium divinum. (ADNOTATIO XLII.)

24. *De obligatione audiendi diebus festis missam, et abstinendi ab operibus servilibus.* — *Remissive.* — Alia, quæ concernunt obligationem audiendi missam, atque ab operibus servilibus in feriis sacris, fusius declaravi in *Theologia morali*, tract. X, distinct. 1 per totum. Ibi vidatur. (ADNOTATIONES XLIII et XLIV.)

## § II.

DE PLACITO, SEU PROCESSU JUDICIALI, EJUSQUE PROHIBITIONE DIEBUS FERIATIS.

25. *Placitum quid sit?* — Quæritur I. Quid sit placitum, et qualiter diebus feriatis pro-

hibeatur? Resp. I. Nomine *Placiti*, de quo fit mentio in cap. I h. t. aliqui intelligunt quamlibet causam forensis, ac strepitum judicalem, arg. can. *Placita*, XV, q. 4; ac proinde volunt, quod « prohiberi diebus feriatis placitum, idem sit, ac « prohiberi judicalem strepitum. » Nihilominus Abbas in cit. cap. I, n. 2, h. t.; Vallensis eod. n. 13; Pirhing n. 9, et plures alii, melius docent, quod nomine *Placiti* dumtaxat intelligatur judicium civile, seu strepitus forensis quoad causas civiles. Ratio hujus posterioris sententiæ est, quia in cit. cap. I h. t., de iudicio criminali fit specialis mentio, dum subjungitur: « Neque aliquis ad mortem, vel ad pœnam judicetur. » Hæc enim verba superfluerent, si placitum quancumque causam etiam criminalem, significaret: ac proinde, ut differat a sequentibus, placitum intelligi debet de causis civilibus tantum. Hoc ipsum satis colligitur tum ex cap. ult. h. t. ponderando ly « judicialis strepitus, » quod est quid generalius, ac placitum. Tum etiam ex cit. can. *Placita*, 15, q. 4, eo quod ibi notanter dicatur, « Placita secularia » (hoc est, ut explicat Archidiaconus ibid. n. 1, de rebus sæcularibus) sicque sub ipsis causæ criminales non comprehendantur, sed hæc speciali indigeant mentione; ut fit in cit. cap. I h. t.

26. *Est prohibitum diebus feriatis, ac regulariter invalidus omnis actus contentiosæ jurisdictionis.* — Resp. I. Placitum sicut et processus criminalis, diebus feriatis est prohibitum: ita, quidem, ut omnibus feriis tam sacris, quam profanis, istud sit commune, quod earum tempore extra casus in jure permissos (de quibus in progressu) nullus in jus vocari possit, et vocatus venire non teneatur; neque ullus actus contentiosæ jurisdictionis in eisdem exerceri valeat, sed strepitus judicialis omnino conquiescere debeat: adeo, ut actus in contrarium gestus regulariter ipso jure sit invalidus. Ita Abbas in c. *Conquestus*, n. 1, et Fagnanus ibid. n. 1, et seqq. h. t.; Vallensis eod. n. 6; Gailus lib. I *Pract.* observat. 53, n. 7, et communis.

27. *Idque probatur ex jure.* — Conclusio hæc clare desumitur tum ex cap. I, et ult. h. t., tum etiam ex l. ff. eod., ubi statuitur, quod tempore messium atque vindemiarum, nemo compellatur in jus venire: et si iudex contra partem tunc absentem, et non comparentem sententiam tulerit, sententia ipsa nullius sit momenti, atque citra appellatio-

nem infirmetur: « Nec enim prætoris factum » juri derogari oportet, prout in cit. l. I. ff. h. t. subjungitur. Concordat textus in l. *Si feriatis*. ff. h. t., et l. II, C. eod., ubi non solum diebus Dominicis aliisque feriatis, jubetur abstineri ab omni strepitu actuque judiciali; verum etiam in posteriori loco additur: « Et quod contra hoc factum fuerit, omnibus modis irritatur. »

28. *Solvitur instantia.* — Nec obstat, quod allegata jura ex professo loquantur de feriis messium atque vindemiarum. Nam ob paritatem, imo et majoritatem rationis, recte id ipsum dicitur de feriis sacris, atque repentinis, utpote quibus ex consensu partium renuntiari nequit, sicuti aliis renuntiari potest. Quinimo in feriis introductis in honorem Dei et sanctorum (extra casum necessitatis, vel pietatis) non valere processum judicarium, nec sententiam hujusmodi diebus promulgatam, consentientibus etiam partibus, expresse statutum habetur in cit. cap. ult. h. t.

29. *Actus jurisdictionis voluntariæ possunt fieri diebus feriatis.* — Additur notanter primo in conclusione, « neque nullus actus contentiosæ jurisdictionis, » etc. Siquidem actus jurisdictionis voluntariæ, qui nimirum absque strepitu judiciali tantum in volentes exercentur, diebus etiam feriatis recte expediuntur; per textum in l. *Solet*. ff. h. t., ibi: « Liberalia quoque judicia omni tempore finiuntur. » Concordat textus in l. *Actus omnes*. c. eod., ubi licentia diebus feriatis emancipandi, et manumittendi, cunctis conceditur; et Baldus in *Summario* generaliter inquit: « Actus voluntariæ jurisdictionis possunt explicari quolibet tempore, etiam feriato. » Et hinc non solum emancipationes, et manumissiones, ut dictum, sed etiam dispensationes, adoptiones, pacta, transactiones, approbatio contractuum, designatio tutorum aut curatorum, creatio magistratum, et alii consimiles actus, diebus feriatis valide expediuntur. Siquidem contrarium non reperitur in jure expressum: quin potius ejusmodi actus tempore feriatis fieri posse, clare conceditur per jure proxime allegata, juncta l. *Eadem oratione*. ff. h. t., et l. ult. C. eod.

30. *Aliæ limitationes conclusionis.* — Additur ulterius in data n. 26 conclusione, « extra casus in jure permissos: » et infra, « regulariter est invalidus. » Fallit enim, si partes renuntient feriis, saltem rusticis: aut si necessitas, vel pietas aliud suadeat, prout

jure sic permittere fieri posse, magis patebit ex illico dicendis. Unde

31. *Feris sacris nequit renuntiari de consensu partium.* — Quæritur II. Utrum prædictis feriis de consensu partium possit renuntiari? Resp. I. Feris sacris, sicut et feriis repentinis nequit de consensu partium renuntiari; bene tamen feriis rusticis, messium videlicet ac vindemiarum. Ita Glossa in Clem. *Sæpe contingit*. §. *Ob necessitates. de Verb. signif.* Speculator h. t. § *Nunc videamus*. n. 1; Fagnanus in c. *Conquestus*, n. 7, ac seqq. h. t.; Vallensis cit. n. 6, et communis. Idque patet ex cit. c. *Conquestus*, sive cap. ult. h. t., ubi Pontifex declarat, non valere processum judicarium diebus ob reverentiam Dei feriatis, « consentientibus etiam partibus celebratum; » licet feriis gratia messium, vel vindemiarum introductis, partes renuntiare valeant. Et horum posterius etiam habetur in l. I et l. *Si feriatis*. ff. eod. Accedit ratio disparitatis: quia feriæ sacræ, utpote in honorem Dei institutæ, principaliter concernunt cultum divinum, cui partium consensu renuntiari nequit, non autem partium favorem, sicut feriæ rusticæ.

32. *Nec feriis repentinis.* — Atque ob hanc eandem rationem nequit a partibus renuntiari feriis repentinis, ob honorem principis, vel ob commune de parta victoria gaudium, a principe indictis: nam publicum potius, quam privatum partium favorem respiciunt, arg. l. *Omnes dies*. C. h. t., ubi idcirco dies feriarum repentinarum imperator appellat suos dies, ibi: « Nostris etiam diebus, » etc. Atqui pacto privatorum, nequit derogari favori, ac juri publico, c. *Si diligenti. de Foro compet.*, et l. *Jus publicum*. ff. *de Pactis*. Abbas in cap. I, n. 11, h. t. Glossa, Speculator, Fagnanus, ubi supra, et alii.

33. *Non obstante, quod simul importent favorem partium.* — Nec obstat, quod feriæ sacræ, sicut et repentinæ, simul importent favorem partium: eo quod priores etiam ob humanam quietem introductæ fuerint; posteriores autem simul in particulare cujusque gaudium redundant, faciantque, ne quis invitatus in iudicium trahi valeat. Non obstat, inquam, tum quia hujusmodi feriæ principaliter introductæ sunt illinc ob cultum divinum, hinc ob favorem publicum: atqui ex principali intento, seu primario fine, attendenda est quælibet dispositio, c. *Accessorium*. 42, *de Reg. jur.* in 6, cum similibus; tum quia non potest quis renuntiare favori, sibi et alteri individuo concesso, absque illius consensu,

arg. *Ad Apostolicum*. 16, *de Regularib.*, et notat Abbas in *c. Conquestus*, n. 6 h. t. Atqui talis consensus ex parte Dei, vel principis, in ordine ad ferias sacras, vel repentinas, extra casum necessitatis aut pietatis, semper deficit; ergo.

34. *Bene tamen feriis rusticis*. — Econtra res se habet in feriis rusticis, messium scilicet ac vindemiarum. utpote in gratiam privatorum principaliter introductis; ad hoc videlicet, ut ipsi melius fruges suas colligere valeant, eisque occasione iudicii, si ad illud inviti venire compellerentur, non pereat commoditas factum congregandorum celesti provisione concessa, l. *Omnes iudices*, c. h. t., juncta l. 1, ff. eod. Unde mirum non est, quod talibus feriis sponte partes renuntiare valeant: « Cum sit regula juris antiqui, omnes licentiam habere iis, quæ pro se introducta sunt, renuntiare; » uti loquitur imperator in l. *Si quis* 29, c. *de Pactis*.

35. *Sive dein partes expresse consentiant, sive tacite*. — Resp. II. Quantum ad ferias rusticas valet placitum, omnisque processus atque actus iudiciarius, sive dein partes expresse consentiant, sive tacite; hoc est, sponte veniendo in iudicium diebus feriatis, et non excipiendo contra processum iudicarium tunc formatum. Ita communis. Et quidem prior pars patet ex cap. ult. h. t., et l. *Si feriatis*, ff. eod., ubi ejusmodi processus dicitur valere, « si de partium processerit voluntate. » Altera vero pars habetur l. 1, § *Sed si prætor*, ff. h. t., juncta Glossa, § *Sententia valebit*; et Bartolo ibid., ubi inquit, valere iudicium in præsentem, si non opponatur exceptio feriarum; sed in absentem, iudicium nullum erit.

36. *Omnibus feriis potest exerceri iudicium ratione necessitatis, aut pietatis*. — Quæritur III. An, et qualiter ratione necessitatis, aut pietatis, valeat iudicium diebus feriatis agitatum? Resp. I. Certum est, quod ex hisce duabus causis possit in omnibus feriis, etiam introductis in honorem Dei et sanctorum iudicium exerceri, teneatque sententia inde promulgata. Textus est in cap. ult. h. t., ubi, a generali prohibitione exercendi iudicium diebus feriatis, expresse excipiuntur duo præmissi casus, illis verbis: « Nisi necessitas urgeat, vel pietas suadeat. »

37. *Exemplificantur casus necessitatis*. — Et quidem ratione necessitatis, sive publicæ, sive privatæ, possunt tunc expediri causæ, quæ celeritatem requirunt: veluti, si res

cum tempore peritura foret, puta si oriatur controversia circa collectionem fructuum cæteroquin periturorum, vel capturam piscium raro, aut certis dumtaxat diebus apparentium, arg. c. *Licet* 3, h. t., et l. *Solet*, ff. eod. Hoc ipsum est dicendum, si quando ob quamcumque causam periculosa dilatio iudici videatur, arg. l. 1, ff. *de Damno infect.* Atque inter alia exemplificari solet in causis alimentorum, et carceratorum, ne lite diutius protracta fame moriantur, aut diutius injuste vexentur. Idem iudicium est de causis pistoriis; puta, an pistores bonum panem conficiant: siquidem pane egemus omnibus diebus, l. *Publicas*, juncta Glossa fin. C. h. t.

38. *Exemplificantur casus necessitatis*. — Id ipsum procedit, si alioquin dilatio peremptura foret actionem: ut puta, si data dilatione finiretur jurisdictio delegati, sicque evanesceret instantia judicialis; ut l. 1, § *Sed excipiuntur*, ff. *de Feriis*, et tradit Glossa fin. cap. ult. *de Judiciis*, id probans ex c. *Consulit. de Offic. delegat.* Vel si ipsamet actio morte alterius peritura foret: prout contingit in actione furti, damni dati, et aliis similibus, quæ moriuntur una cum fure, vel damnum dante: item in actione injuriarum, quæ tollitur lapsu certi temporis, l. *Solet*, ff. juncta Glossa ibid. § *Morte*, h. t. Quamquam in hisce posterioribus casibus solummodo pars adversa cogi possit prætorem accedere, et lis contestetur, l. 1, § *Sed excipiuntur*, ff. eod. Nam per litem contestationem actio jam perpetuatur, sicque satis provisum est actori: simulque quando aliquid conceditur ratione necessitatis, eatenus conceditur, quatenus necessitas erit, et non ultra; prout notat Bartolus in cit. § *Sed excipiuntur*.

39. *Exemplificantur casus necessitatis*. — Insuper ex causa necessitatis potest diebus feriatis procedi contra latrones, ne sceleratorum captura diutius differatur, multorumque salus et incolumitas tempestive procuratur, l. *Provinciarum*, c. h. t. Atque ob eandem causam necessitatis potest carcerari debitor fugitivus diebus feriatis, etiam in honorem Dei. Abbas, cap. ult. n. 22, *de Judiciis*, et alii, juxta amplius dicenda n. 74 et 75. Item negotia militaria possunt quolibet die expediri, l. *Divus*, ff. h. t. Rursus feriæ messium atque vindemiarum (secus dicendum de feriis sacris in honorem Dei institutis, ut limitat Pirhing h. t. n. 21) non sunt observandæ in causis publicis et fiscalibus, l. *Publicis*, C. eod. Rursus tempore feriato

potest interponi appellatio, utpote concessa ad naturalem defensionem, et quæ sine magno strepitu fieri potest; quamvis ejus prosecutio tunc fieri non valeat, l. 1, c. *de Feriis*, ac notat Glossa magna in cap. ult. et Abbas ibid. n. 13 et Fagnanus, n. 21, h. t. Speculator, tit. *de Feriis*, § *Sequitur*, n. 2, et communis.

40. *Exemplificantur casus necessitatis*. — Tandem, ut alia taceantur, possunt ex causa necessitatis diebus feriatis expediri actus judiciales, ipsaque sententia promulgari, si alio tempore testes vocari, vel iudex adiri non possit, vel saltem non sine magno incommodo, aut quoad pauperes non absque jactura mercedis diurnæ: nam hæc satis magna censeretur necessitas, cum pauperes maxime indigeant mercede diurna. Quod ipsum comprobatur consuetudo aliquarum regionum, ubi iudices rusticorum diebus festivis jus dicunt, quando aliis diebus rusticani homines adesse, vel commode absque jactura mercedis diurnæ testes vocari nequeunt; prout jam dixi in *Theologia morali*, tract. X, dist. 1, n. 22, post Navarrum cap. XIII; *Manual*, n. 13; Tanneurum, tom. III, disp. 5, n. 9 et alios.

41. *Exemplificantur casus pietatis*. — Resp. II. Ratione pietatis ita suadentis, recte imprimis exercerentur actus judiciales tempore feriato, quando tractantur causæ debiliū, vel miserabilium personarum. Ita Glossa in cap. ult. § *Pietas*, h. t.; Speculator tit. *de Feriis*, § *Sequitur*, n. 1 et seqq.; Hostiensis in *Summa* h. t., n. 4, et communis. Nam in operibus misericordiæ distinctio dierum non est habenda; ut can. *Utinam*, dist. 76 et can. *Nunquam. de Consec.* dist. 5. Unde possunt tunc pupillis tutores dari, et uxori mortuo viro alimenta decerni: hæc enim suadet pietas. Decretum tamen super alienatione rerum minoris interponi non potest: quia non adeo istud suadet pietas; simulque non nisi causa cognita, et iudice pro tribunali sedente, id fieri potest, l. *Minorum. c. de Prædiis minor.* ac notat Speculator loc. cit. n. 12; Abbas in *c. Conquestus*, n. 15; et Joan. Andreas ibid. n. 2, et Fagnanus n. 16 et 17, h. t.

42. *Exemplificantur casus pietatis*. — Deinde ratione pietatis, simul et necessitatis, possunt diebus feriatis tractari causæ spirituales quæ pertinent ad electionem, inquisitionem, et hujusmodi. Ita Joan. Andreas in *c. Conquestus*, n. 22 et Fagnanus, ibid. n. 15, h. t. post Innocentium, et Hostiensem. Idem desumitur

ex can. *Placita*, 15, q. 4, ibi: « Placita sæcularia Dominicis diebus minime fieri decernimus: » et consequenter cum exceptio firmet regulam in casu non excepto, simulque argumentum a sensu contrario desumptum, in jure sit fortissimum (ut amplius dictum lib. I, tit. II, *de Constitutionibus*, § 16, n. 405 et 406), non prohibentur tunc tractari causæ ecclesiasticæ, sed permittuntur. Accedit, quod ecclesiarum necessitas, ne videlicet diutius careant rectore, id ipsum exigat, c. *Ne pro defectu*, 41, *de Elect.*

43. *Exemplificantur casus pietatis*. — Insuper ex motivo pietatis possunt tempore feriato tractari ea, quæ pertinent ad pacem, et concordiam; uti habetur l. ult. c. *de Feriis*, ibi: « Pacta conferant, transactiones loquantur. » Item possunt ea agitari, quæ ad religionem spectant; prout hæretici solent diebus festivis iudicari, et puniri, ad majorem aliorum tunc confluentium terrorem, fideique catholicæ defensionem. Pirhing h. t., n. 21. Nam « suam esse rationem, quæ pro religione facit, » patet ex l. *Sunt personæ*, ff. *de Religiosis et sumpt. funer.* Tacentur plura similia, de quibus alii.

44. *In causis summariis, seu de plano tractandis, potest procedi tempore feriarum rusticarum*. — Quæritur IV. Utrum in causis summariis, seu simpliciter ac de plano tractandis, possit procedi tempore feriato? Resp. I. Tempore feriarum rusticarum, seu ob necessitates hominum indultarum, potest iudex procedere in causis summariis, seu simpliciter ac de plano expediendis. Ita communis; et habetur expressum in Clement. *Sæpe contingit. de Verb. signif.*, illis verbis: « Sancimus, ut iudex, cui taliter (hoc est, simpliciter, ac de plano) causam committimus, tempore etiam feriarum ob necessitates hominum indultarum a jure, procedere valeat. »

45. *Idque exemplificatur*. — Inferitur proinde, cum in Clem. *Dispendiosam. de Judiciis*, statuatur, quod in causis matrimonialibus, et beneficialibus, sicut et in causis decimarum atque usurarum, et eas quoquo modo tangentibus, possit iudex simpliciter ac de plano procedere, hujusmodi causas rite agitari, ac terminari tempore feriarum rusticarum. Idemque dicendum de causis pupillarum, viduarum, alimentorum cæterisque summarie ac de plano expediendis. Et hæc procedunt etiam extra casum necessitatis, ac pietatis, de quo superius.

46. *Non item in feriis sacris, et repentinis.* — Resp. II. Nihilominus præmissæ causæ summariæ non possunt judicialiter agitari, nec valet processus desuper factus (extra casum necessitatis, aut pietatis) in feriis sacris, et repentinis. Ita Glossa in cit. Clem. *Sæpe contingit*. §. *Ob necessitates*; et Abbas ibid. n. 28 et 29. *de Verb. signif.* Ratio hujus desumitur ex verbis cit. Clem. *Sæpe contingit*; argumento a sensu contrario desumpto. Ibi enim causæ summariæ solum permittuntur agitari « tempore feriarum ob necessitates hominum indultarum; » quales sunt feriæ rusticæ, sive messis atque vindemiarum, aliæque ad mitigandos æstivos calores concessæ: ergo secus est dicendum de feriis sacris, sive in honorem Dei statutis (secluso tamen casu urgentis necessitatis, vel suadentis pietatis) necnon in feriis repentinis, propter principis coronationem, aut aliam similem causam indictis. Generaliter etenim olim prohibitum fuit, tempore feriato causas judiciales tractare: atqui non censetur plus de priori lege mutatum, quam est expressum in posteriori; ut l. *Præcipimus*. C. *de Appellat.*, estque amplius dictum, lib. I, tit. II. *De Constitutionibus*. § 47, n. 491; ergo.

## § III.

DE NONNULLIS ACTIBUS JUDICIALIBUS TEMPORE FERIATO PROHIBITIS IN SPECIE.

47. *Libelli oblatio potest judici fieri tempore etiam feriato.* — Quæritur I. Utrum quolibet tempore, etiam feriato, possit offerri libellus? Resp. I. Libelli oblatio potest judici fieri quocumque tempore etiam feriato. Ita desumitur ex l. *Miles*. § *Sexaginta dies*. ff. *Ad leg. Jul. de Adulter.*, ubi dicitur, « quod de plano quocumque libellus dari potest: » ac notat Bartolus idem asserens hoc esse verum in qualibet causa, etiam civili. Glossa fin. in cap. ult. *de Judiciis*, et Additio ad Abbatem ibid., quamvis ipsemet Abbas ibi, n. 17, inclinet in oppositum. Speculator, h. t. § *Sequitur*, n. 2; Pirhing, h. t. n. 27, et alii. Accedit ratio, quia oblatio libelli, quæ fit judici, non est actus judicialis, cum præcedat citationem, a qua incipit iudicium: neque est de processu, uti colligitur ex l. *Libertus*, ff. *De in jus vocand.*, ubi porrigens præsi libellum, non censetur in jus vocare.

48. *Non tamen parti; et ratio diversitatis.* — Resp. II. Etsi libellus die feriato possit of-

ferri judici, ut dictum, non tamen potest ejus oblatio tali die fieri parti. Ita Glossator in Bartolum, loc. cit. §. *Sexaginta*, citans Hostiensem, et Innocentium in cap. II *de Dilation.*, et sequitur Pirhing, ubi supra. Ratio est: quia oblatio libelli, quatenus fit parti, ab ea aliquid dari aut fieri petendo, est actus judicialis, spectatque ad ipsum processum: atqui actus judiciales diebus feriatis exerceri non possunt, cap. I et cap. ult. h. t., cum similibus; ergo major patet ex c. *Quoniam*. 41. *de Probation.*, ubi etiam *Petitiones*, seu (ut explicat Glossa) libelli, inter acta iudicii connumerantur. Accedit, quod oblatio libelli ut parti facta, vel præsupponat citationem, sicque fiat iudicio jam coopto, vel una cum ista fiat: citatio autem nequit fieri die feriato, juxta illico dicenda. Unde patet disparitas inter hanc et priorem conclusionem: quamvis, præsertim ob cit. c. *Quoniam*; *de Probation.* Abbas ubi supra, etiam priorem videatur negare conclusionem.

49. *Citatio facta die feriato ad non feriatum, an valeat? Quando ob necessitatem, vel pietatem potest causa judicialiter expediri, palam est valere etiam citationem.* — Quæritur II. Utrum valeat citatio facta die feriato ad non feriatum? Hæc quæstio procedit solum in iis casibus, in quibus non possunt valide exerceri actus contentiosæ jurisdictionis: nam loquendo de casibus illis, in quibus ob urgentem necessitatem, vel pietatem suadentem, possunt causæ judicialiter expediri; palam est valere quoque citationem non solum ad diem feriatum, sed etiam die feriato factam. Ratio est clara, quia citatio est principium ipsius processus iudicarii; ergo, ubi iste ex causa necessitatis, vel utilitatis, rite ac valide peragitur, hoc ipso etiam valida erit citatio. Nam, « quando aliquid permittitur, videntur esse omnia permissa, per quæ pervenitur ad illud; » ut loquitur *Summarium* in l. *Oratio*. ff. *de Sponsal.*, et favet textus ibid. ac in l. II. ff. *de Jurisdict. omn. judic.* Simulque, ut habet reg. 80 juris, in 6: « In toto partem non est dubium contineri. » Glossa, in l. II. §. *Dies feriatas*, ff. *Si quis in jus vocatus*, etc.; Maranta, part. VI *Speculi aurei*, tit. *de Citatione*, n. 424; Pirhing, h. t. n. 30, in fin. Verum loquendo de causis illis, quæ non possunt diebus feriatis expediri, an valeat citatio facta die feriato, vel ad diem feriatum, valde controvertunt doctores.

50. *In citationem triplex actus intervenire solet; et qualis?* — Ubi prænotandum cum

Joan. Andrea, in c. *Conquestus*, n. 3, et Abbate, ibid. num. 20, et Fagnano, num. 42, n. t., quod in citatione triplex actus intervenire solet. Primus est præceptum seu mandatum iudicis de citando. Secundus est ipsemet citationis actus, sive executio mandati, quam facit apparitor, sive nuntius, de mandato iudicis quempiam citando ad comparandum in iudicio tali die. Tertius est processus ex citatione inchoatus. His prænotatis,

51. *Mandatum iudicis de citando potest fieri diebus feriatis.* — Resp. I. Prior actus ex enumeratis tribus, videlicet mandatum iudicis de citando ad diem non feriatum, potest fieri diebus feriatis; dummodo non fiat a iudice pro tribunali sedente. Ita Joan. Andreas loc. cit. hanc appellans communem opinionem, et Fagnanus, in d. c. *Conquestus*, n. 49, et seqq. citans insuper Bellameram, ibid. n. 40, h. t.; Gailus, l. I. *Practic.* observat. 53, n. 4, allegans *Decisionem 1 Rotæ*, n. 1. *de Feriis, in novis*; Vallensis, h. t. n. 13, et alii; quamvis Speculator, tit. *de Citatione*, § 1, n. 14, et Abbas, in c. *Conquestus*, n. 20, h. t., Maranta, part. VI *Speculi aurei*, tit. *de Citatione*, n. 419, et novissime Pirhing, h. t. n. 28, oppositum teneant.

52. *Idque probatur.* — Ratio conclusionis est: quia præceptum de citando, per se loquendo, est actus omnino extrajudicialis, nullam requirens causæ cognitionem iudicalem, neque secundum se spectatus, est actus contentiosæ, sed voluntariæ potius jurisdictionis: atqui actus voluntariæ jurisdictionis, alique extrajudiciales, possunt fieri diebus feriatis, l. *Actus omnes*; c. *de Feriis*; ergo. Major probatur, quia mandatum illud, est commissio de citando: atqui hæc est actus extrajudicialis, cum præcedat citationem, a qua incipit iudicium; simulque exercetur solum in volentes, sive eos, qui talem commissionem in se suscipere volunt; ergo. Accedit, quod commissio totius jurisdictionis, vel totius alicujus causæ, possit fieri tempore feriato; et facta tali tempore non sit invalida: nullo enim jure istud reperitur prohibitum: ergo idem dicendum de commissione citationis. Neque enim ulla subest ratio; cur magis invalida censeri debeat commissio unius articuli, quam totius causæ: atque oppositum clare convincitur ex l. *Quæ de tota*. ff. *de Rei vindicat.*

53. *Dummodo non fiat a iudice pro tribunali sedente.* — Additur vero in conclusione, « dummodo non fiat a iudice pro tribunali

sedente. » Nam tunc ejusmodi mandatum citandi, foret eo ipso de processu judiciali: atqui actus processus judicialis sub nullitate prohibentur diebus feriatis, cap. I, et ult., h. t., cum similibus; ergo etiam tale mandatum iudicis pro tribunali sedentis de citando foret invalidum. Accedit, quod ejusmodi mandatum foret quædam sententia interlocutoria, arg. l. *Presenti*, juncta Glossa, §. *Sententiis*, C. *de his qui ad Ecclesias*, etc. Atqui talem sententiam non posse fieri diebus feriatis: utpote in quibus debet omnis strepitus judicialis conquiescere, satis clarum est. Et hoc modo commode potest explicari sententiæ doctorum oppositum tenentium: nam jura, et rationes ab ipsis adductæ ex cap. I, et ult., h. t. et l. ult., c. eod. plus non convincunt.

54. *Executio citationis per apparitorem non potest fieri die feriato.* — Resp. II. Alter actus, videlicet, executio citationis per apparitorem, sive nuntium faciendæ, non potest fieri die feriato, quantum est de rigore juris communis. Ita Rota in causa Bonon. liberationis a fidejussione. Ven. 9 Febr. 1607. apud Prosp. Farinacium, l. II, decis. 233, n. 4. post Baldum in l. *Cum clericis*, n. 3. c. *de Episc. et cleric.* Lanfrancum, tract. *de Citatione*. n. 18, et alios, tenens citationem non valere, quæ fuit executioni demandata die Dominico. Idem tradit Abbas in c. *Conquestus*, n. 20, et Fagnanus ibid. n. 56, h. t. allegans praxim, et aliam decisionem Rotæ, quæ est decis. 363, n. 1, part. III recent. contra Joan. Andream in d. c. *Conquestus*, n. 3; Gailum cit. l. I *Practic.* observat. 57, n. 6; Vallensem, h. t. n. 13, et Pirhing, eod. n. 29.

55. *Et cur?* — Ratio conclusionis est, quia negari non potest, quin citatio spectet ad actus iudicii; ut patet ex c. *Quoniam*. *de Probation.*, ibi: « Qui fideliter universa iudicii acta conscribant, videlicet citationes, dilationes, etc. » Atqui actus iudicii nequeunt exerceri diebus feriatis, cap. ult., h. t. Quin imo in l. ult. c. eod. videtur actus iste specialiter fuisse prohibitus, illis verbis: « Nalla quemque urgeat admonitio, præconis horrida vox silescat. » Confirmatur: quia ejusmodi citatio, licet non arctet, citatum ad comparandum tunc, tamen arctat atque afficit eum pro tunc; simulque mentem ipsius concutit, et inquietat, atque abducit in sollicitudinem deliberandi, et cogitandi super causa factæ citationis, imo et plerumque provocat citatum ad iram et indignationem adversus eum, qui citationem impetravit, sicque